

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 243

Haec carta indicat atque conservat qualiter dedit Salomon rex Britanniae partem dimidiam Plebis Castel, quae sita est super fluvium Visnoniae, in pago redonico, Sancto Salvatori Sanctoque Maxencio, pro anima sua et pro remedio peccatorum suorum, in elemosina setnpiterna et in monachia sempiterna, sine censu et sine tributo alicui homini sub caelo nisi Sancto Salvatori et Sancto Maxentio et monachis illi servientibus, et transmisit cespitem, per fidelem suum familiarissimum Felicem diaconum, super altare Sancti Salvatoris et Sancti Maxencii; et hoc factum est in illo anno et in illo tempore quando debellabant et persequebantur Pascuethen et Guruuant ipsum Salomonem quem et perimerunt, et postea ipsius regnum obtinuerunt et inter se diviserunt; et in ipsa divisione, dimidia altera pars Piebis Castel cecidit in parte Guruuant. Postea, causa orationis, venit Uruuuant ad monasterium Sancti Salvatoris, situm in Plebe Lan ubi et Salomon supradictus iacet corpore, et dedit illam medietatem plebis quae ceciderat in sua parte Sancto Salvatori et Sancto Maxencio et monachis ibidem Deo servientibus; et illam medietatem quam Salomon ante dederat confirmavit quasi ipse dedisset. Factum est hoc in ipso monasterio Plebis Lan, die kal. aug., .II. feria, luna .XXIII., coram multis nobilibus viris qui ibi aderant: Guruuant, qui dedit et confirmavit, testis; Eudon, testis; Solom, filius Loiesboiarn, testis; Spereuui, testis; Iuduuallon, testis; Gurmil, testis; Treuuoret, testis; Tutuual, testis; Moruuethen, filius Uuoetuualt, testis; Tanet, testis; Loiesbudic, testis; Euboduu, testis; Kenmarhoc, testis; Coruuethen, testis; Haelfinit, testis; Breselmarhoc, testis; Cadufin, testis; Haelcomarch, testis. Qui custodire voluerit, custodiat illum Dominus in futuro seculo et in presenti; qui noluerit, deleatur nomen eius de terra et de libro vitae.